

GALLIAE
tabule geogra:
phicae

Per
Gerardum Mercatorem
Illustriſſimi Ducis Julii
Cluiv Montis
&c
Cosmographum

Duysburgi Cluorum
edita

Cum gratia & priuilegio.

K. 474 [II]

vd16



STVDIOSO ET BENEVOLO LECTORI.



VANDOQV IDEM nobis solis nati non sumus, sed quantum quisq; potest ad commune bonum, tantum à beneficentissimo generis humani conditore & parente ab illo exigitur, iustū existimavi opus hoc geographicum, cuius hic partem damus, ad Reip. vtilitatem quā possū maximē accommodare. Est autem geographiæ in legendis historijs ijsq; retinendis facilior notiorq; vsus & vtilitas, quā ut meo documento aut commonefactione sit opus, sed alia est eius & multo præclarior dignitas, si rectè quo valet dirigatur, nimirum ad politici regiminis cognitionem plurimū conferet, si locorum non situs tantū, sed & natura siue legitima conditio describatur, quod alioqui etiam geographi officium postulat. Nam ut suæ professioni non satisfacit pictor, qui hominem aliquem iuxta membrorum proportionem delineat, verū neglectis coloribus & Physionomicis signis eius naturam & affectus non prosequitur, ita veluti mortuum cadauer geographicum figurabit, qui locis tantū iuxta suam symmetriam positis, nullam eorum ad inuicem rationem politicam assigauerit. Quapropter hoc summopere curādum duxi, ut quæ in singulis regionibus est dominiorum locis appendentium natura & ordo, eam conuenienti distributione ipsis tabulis præfigam, quo politicæ distributionis & rerum publicarum studiosis aliquid nostra conferre possint. Quod si in multis sit imperfecta & deficiens, aut etiam alicubi erronea conscriptio nostra, non mireris lector: non enim Rerump. formæ per singulas ditiones scriptæ extant, neq; mihi eas passim peruestigare est integrum, sed quatenus ex historiarum inspectione deprehendere potui, saltem formam aliquam & rudimentum politici status collegi, vnde rei propositæ rationem & ordinem intelligas, ac quod in tua regione deerit supplere possis, & castigare, quod si facere non grauaberis, ac mihi communicare placuerit, tuo id nomini atq; honori in castigato tabulæ frontispicio acceptum referam. Idem si quisq; in sua patria præstiterit, nemo credat quantum emolumentum studiosis omnibus ex geographia sit accessurum.

Itaque cum tria præcipuè sint in administratione regnorum, principatuum, & prouinciarum consideranda capita, videlicet, Status Ecclesiasticus, politicus & iustitiæ iurisq; administratio, primum sub regionis in tabula descriptæ titulo, quot in ea regione sint status politici membra recensere iuxta earum dignitatis ordinem ibi obseruatum. Deinde in nobilium locorum distinctione (quando penes nobilitatem præcipuum est regimen) eos locos primum enumerabo qui principi sunt feudales, deinde & liberos, idque ordine à summo nobilitatis gradu descendendo veluti Ducatus, Comitatus, Baronias, Dominia. Tertio in quas Præfecturas regio sit diuisa. Atque his tribus Politicum statum sufficienter declaratum iri existimo. In iustitiæ administratione notandæ erunt dioceses iuridicæ, superioresque Senatus ad quos fit appellatio. Denique in Ecclesiastico statu primum Archiepiscopi, si qui sunt, tum eorum suffraganei Episcopi, & qui præterea alijs suffragantur ordine ponendi erunt. Hac omnia enumerare studium quidem est, verū cum deficiente materia in paucis id detur, præstabo, quod potero, ut saltem patriæ cultores ad meliora perfectioraq; prouocem. Singula autem loca numeris designabuntur, ut in subsequenti tabula continuo inueniri possint, prior numerus gradus & minuta longitudinis continebit, qui in latere boreo aut meridiano, tabulæ quærentur, posterior latitudinis numeros habebit, in occiduo aut orientali latere quærendos. Ab horum terminis, hinc meridiani, inde paralleli latitudinis ductu ad communem eorum sectionem & locum propositum peruenies. Quæ verò in generalium tabularum indicibus sunt, eorum situm inde petere oportet. Quod si quæ nomina in subiecta tabula non reperiantur, id chorographi qui eam prior delineauit factum est vitio, propter quod principatuum & dominiorum designatio omittenda non erat.

Quoniam autem penes nobilitatem est regionum dominium & regimen, vtile & iucundum est eius gradus ordine, & proprias cuiusq; cōditiones internoscere. Summus eius gradus est Imperatorius aut Regius, quem ordine subsequuntur Dux, Comes, Baro, Tribunus militaris, quem Banderheer vocant Belgæ, quasi Bendæ hoc est Turmæ, quæ sub suo baniere, hoc est signo equestri ducatur, dominum. Post hunc est Eques aut ratur, siue equestris ordinis dignitatem adeptus, quem Galli Cheualier, Belgæ Ridder vocant. Postremo loco est vn Escuyer, id est nobilis scutatus, qui insignia quidem nobilitatis gestat, verū ordinis dignitatem publicam necdum affecutus. Iam Comitum tres sunt gradus, qui in primo est à Gallis Viconte dicitur, hoc est, ut opinor, Procomes, aut Princeps Comes, qui cæteris apud ducem suū dignitate & priuilegijs præstat, quem Ludouicus Guicciardinus Burgrauium hodie dici vult. Et fieri potest hunc Comitum ordinem eodiminationis dilapsum esse, sed principio excellentior fuit eius dignitas, ut mox eius descriptio indicabit. In secundo gradu est Prouincialis Comes, Landgraue Belgicæ. In tertio Marchio, Marcgraue. Hi sunt præcipui nobilitatis gradus atq; ordo, iuxta quem regionis cuiusq; dominiū distribuitur. Sunt & aliæ quædam in his gradibus subdiuisionis differentia, sed quæ priuilegijs magis quā regiminis forma distinguuntur. Eius porro ordinis quem recitavi legitimas differentias & conditiones, quemadmodum in Gallico quodā libello, inscripto: La diuision du monde: inueni tradam, ab ima nobilitate aliorum graduum creationem deducens, vnde illorum proprietates & regiminis ordo elegantissimè elucescunt.

Eques auratus, inquit ille, siue Cheualier ex Scutato nobili, ex Escuyer, sic creabitur. Si diu hic bella secutus arma exercuerit, pluribus conflictibus interfuerit, atq; vnde ordinis statum honestè sustinere possit habeat, siquæ ex magna insigni ac diuite familia, tum in aliquo conflictu duci exercitus aut strenuo & generoso equiti petitionem suam significabit, & finito conflictu ipse ducem aut equitem dictum accedet, præsensque in nomine Dei ac S. Georgij orabit, ut sibi ordinis insignia donet. Quo ille audito gladium suum educet, terq; supplicentem feriet, dicendo: Ego te facio Equitem (Cheualier) in nomine Dei & S. Georgij

† ij ad fide-

DE POLITICO STATV

ad fideliter conseruandam fidem, iustitiam, Ecclesiam, viduas & pupillos. Quod si verò supplex, etiam si strenuus, sit tamen pauper, admittendus non erit, nisi tot illi redditus annui assignentur ac donentur, quot ad ordinis honorem & dignitatē conseruandam opus est habere. Atq; hic primus est ab imo nobilitatis gradus.

Tribunus militaris, ein Banderheer, ex Equite aurato fiet, si diu secutus bella satis terrarum ac reddituum possideat, ad tenendum & stipendijs alendum; o. nobiles, hoc est vnam bēdam, quā ipsius signum equestre in militia sequatur. Nemo enim signum suū vexillum erigere potest, nisi qui turmam hoc est bēdam so. vt minimum nobilium stipendiariorum suo sumptu adducere potest.

Baro ex Equite aurato, aut etiam Scutato nobili creari potest, quando ille in suo dominio quatuor Castellanas habentes iurisdictionem altam, mediam, & bassam (vt vocant) possidet, tum enim Rex illi conferre potest vexillum Baronatus. Caterum hoc illi conferri non potest, nisi rebus in bello fortiter gestis. Itaq; ex primo conflictu equestris sit ordinis, ex secundo Tribunus militaris, ex tertio Baro.

Comes ascendendo sequitur, & quidem primum limitaneus, quem Marchionem hoc est Marcgrauē vocamus. Is autem talis creari potest, qui duas aut tres Baronias in vno Ducatu conclusas possidet. Creari autem potest à suo duce, in cuius ditione eas possidet.

Comes prouincialis deinde, id est Landgrauē, fieri potest, qui quatuor Baronias vni ducatu inclusas habet, quem Dux in Comitem creat, aut etiam Rex per Ducis instantiam aut permissionem.

Viconte, Princeps, Comes, fieri potest qui tenet quinque Comitatus aut plures in vno Ducatu comprehensos, aut iunctim sitos. Et potest à Duce in magna solennitate permissu Regis creari. Quod si Rex ipse præsens adsit, honorabilior sit Principatus.

Dux ex Comite qui futurus est, imprimis in Regno, in quo coronandus est, possidet quatuor Comitatus Principales, & in quolibet horum habeat alios quatuor Comitatus, siue Baronias illis quatuor Comitibus fide & clientela obstrictos, sic ius Ducalis dignitatis consequenda liberum habebit. Coronandus est autem à Rege vel Imperatore cui subiectus est, galero margaritis & gemmis preciosissimis exornato, in florentissima suarum ditionum vrbe, id est in magno conuentu Principum virorum, Ducum, Comitum, ac Baronum, solenni etiam festo celebrato, quemadmodum in coronatione Regum consuetum est.

Qui Rex futurus est, necesse est, vt quatuor Ducatus inter se cohærentes & continuos sibi subiectos habeat, & in quolibet Ducatu ciuitates quatuor, in quas solus ipse dominium habeat. In qualibet etiam starum ciuitatum Archiepiscopum vnum, sub vnoquoque; rursus horum decem Prouincias Episcopales. His datus exornatusq; dominijs & dignitatibus Imperatoriam Maiestatem tāquam suam superiorem adibit, aut ad se vt veniat honorifica legatione inuitabit, & efficiet quo ab illo coronetur.

Recentior autem hæc eligendi Regis ceterorumq; Principum lex esse videtur, quamdiu enim vagæ nationes, Goti, V Vandali, Longobardi, aliaq; plures suos secum Reges adducebant, non ex ampla terrarum possessione regiam dignitatem metiebantur, sed ex viribus populiq; adducti multitudine. Nec Ducum etiā qui primum à Longino Exarcho Rauennatense anno Domini 569. & mox à Longobardis institui cœperūt, alius fuit delectus, quā pro fortitudine, & rerum gerendarum prudentia. Adde quod Paulus Aemilius testatur: Duces Comitesq; principio ab Regibus ea lege gentibus ciuitatibusq; præfectos fuisse, vt quoties ex vsu esset dimitterentur aut mutarentur. Neq; verò dictæ creandorum Principum leges, cum hæreditarias terrarum possessiones emeriantur & postulent, condi potuerunt, quamdiu temperario tantum beneficio Ducatus Comitatusq; à Regibus & Imperatoribus conferebantur. Quapropter licet præcisè eius instituti tempus indicari nequeat (nullam enim eius notam adfert Gallicus ille libellus) tamen sub Ottone II. Imperatore, aut circa annum Domini millesimum, vel paulo post eam constituendarum confirmandarumque dignitatum rationem à Monarchis ordinatam fuisse omnino est verisimile. Enimvero vsq; ad Ottonem secundum pro sua quisq; Princeps potentia & ambitione, ad maiorem dignitatem, regiamq; Maiestatem aspirabat. Sic ex vno Lotharingia regno, quod à Rheno ad Schaldim vsque extensum, mari Frisco terminabatur, & vnus Lotharij Ludouici Pij filij erat, post plura sunt nata, videlicet transiurana Burgundia, quod à Iura monte ad Alpes vsq; extensum totam Helueriam, Rauracos, Allobroges, & Burgundos transiuranos complectebatur: & Prouincia regnum quod simul partem aliquam Burgundia ac Sabaudia comprehendebat, & postea appellatum est Arelatense, cuius etiam hodie Treuirensis Elector Archicancellarius appellatur, Regnum item Lotharingia, quod Lotharingiam nunc dictam, & deinceps reliqua inter Rhenum & Schaldim vsq; ad mare Friscum continebat, & olim Austrasia regnum vocabatur. Rursus hoc ipsum Lotharingia regnum Carolus Caluus & eius frater Ludouicus inter se partiti sunt, vtrobique Regis titulo seruato. Omitto alia eodem sæculo pro imperandi libidine orta regna. At verò Otto II. Imperator Lotharingia ablato regni nomine in nouos Ducatus, Comitatusq; distinxit, veluti membris è corpore diuulsis & distinctis, vt habet Cuspinianus, factaq; diuisione anno 981. primum eius quæ nunc est Lotharingia Ducem constituit Carolum Lotharij Regis Francia fratrem, vt latius tractat Richardus V Vassenburgius. Ab eo tempore videtur arbitraria illa regnorum & Principatuum erectio defecisse, Monarchis nunc omnia ad stabile imperium componere cogitantibus, quod in iusta partium Imperij, quemadmodum in homine membrorum ad caput proportionem & harmonia maximè situm est, vt ergo in Principatibus & rerū administratione ordo aliquis perpetuo seruarietur, tandem eo ferè quo dixi tempore has leges dictas excogitatas fuisse arbitror.

Habes lector totius nobilitatis distinctos gradus, & dignitatum differentias, iam obserua in vnoquoque regno, quo modo prouinciæ pro illorum ratione sint diuisæ, quomodo regimē & vniuersitatis gubernatio, & qua portione in hos gradus sint distributa, quod cuique sit proprium officium, quæ cuiusque ad alterum & præcipuè ad caput sit habitudo & necessitas, videbis insignem harmoniam ad pacem & tranquillitatem, ad robur & potentiam, ad diuitias & fastum, ad virtutem & sapientiam, ad regni maiestatem, ad limitum extensionem, ad instabilitatem, ad declinationem & interitum, aut quocunq; alio tendentem, vt sint administrationum rationes varia. Quæ minus rectè succedere videris, aut iudicaueris, vnde id procedat contem- plare, quæ ita bona & successu felicia inuenis causam illorum disquire, sic optimam politiam in regnorum administratione speculaberis, & vtilissimè geographica tractaueris. Quo autem meliore methodo in hanc specu-

REGNI GALLIAE.

speculationem ingrediari, hic subiungam tanquam fundamentum vniuersi huius negotij: De politico statu regni Gallia compendium, quod meo rogatu vir nobilitate & eruditione clarissimus D. Dominicus à Burmania in ornamentum huius operis, & studiosorum gratiam scripsit & communicauit, cuius exemplū in alijs quoq; regnis & rebus publicis viros doctos sequi maximè optandum esset, quo omnes administrationum Reip. varietates in contemplationem duci possint.

DE POLITICO STATU REGNI GALLIAE.



ALLI omnium scriptorum iudicio populi sagacissimi ac bellicosissimi optimum sibi politicae statum constituere conantes Monarchiam Regalem elegerunt. Natura enim ita comparatum videbant, vt vnum aliquem excellenti dignitate plus reuerentur & metuant homines, quam coactum aliquem numerum delectorum, qui tempore commutantur. Ratio quoque ipsa praescribit in omnibus rebus ad vnum aliquem velut ad caput atq; fontem necessariò confugiendum, & rem esse plenam incommodi atque periculi cum plures simul imperium obtinent. Quinetiam exempla testantur monarchias, etiam si vel interitu Principum, vel alio quoquam humano casu fuerint immutata, diuturniores fuisse & tranquilliores, quam vel optimatum vel popularium statum, vt in Assyrijs & Aegyptijs, & Parthis, imò vt propioribus exemplis vtamur, in Britania, Hispania, Galliaq; nostra videmus, quibus sanè prouincijs nullae aliae Respublicae temporis longinquitate conferri possunt. Fit vero plerumq; vt optimatum status, qui Aristocrazia dicitur commutetur in Oligarchiam, quae paucorum est dominatus, quando ex optimatibus & primis ciuitatis pauci quidam, velut coniuratione facta, honores & emolumenta omnia inter se partiuntur, & suas priuatum fortunas amplificare student, neglecta communi utilitate, quam solam & in primis curare debebant. Alterum genus quod ad promiscuum vulgus pertinet, & popularis status, seu Democratia dicitur, semper habitum est tumultuosum, & periculi plenum, & viris praestantibus inimicum. Prudentissimè ergo Galli populi ab omni tempore vni magis, quem ex virtute & iustitia aestimabant ceteris praecellere, quam vel pluribus ac praecipuis populi, vel multitudini rei summam commendandam esse censuerunt, prout & singularis aliquis, qui solus rerum potitur, facilius aut promptius incommodis & periculis mederi potest, quam multi simul gradu & dignitate pares. Neq; verò effrenatam in Regem suum transtulerunt potestatem, sed certis legibus & conditionibus optimè limitatam aut constrictam, ne tyrannidi vllus locus datur, vt in progressu ostendemus. Ceterum quemadmodum nihil in humanis actionibus stabile est ac perpetuum, sed cuncta vel temporis lapsu collabascunt, vel saeculorum prauitate immutantur, sic in Gallia quoq; licet idem semper status, hoc est monarchicus Regalis fuerit, non omni tamè tempore eadem gubernanda Reip. ratio fuit, quam omnem ab initio constituti Regni breuiter ac dilucidè, quantum ex variorum scriptorum lectione assequi potuimus, ordine exponemus.

Status Galliae priusquam à Romanis in prouinciam redigeretur is fuit, vt neque vniuersa vnius imperio regeretur, neque singulae ciuitates vel in populi vel in optimatum potestate essent, sed ita diuisa fuit, vt pleraque optimatum consilio regerentur, quae libera dicebantur, ceterae Reges haberent. Omnes quidem id institutum tenebant, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent, in quo quae ad summam Reipublicae pertinere videbantur constituerent. Ciuitates autem 64. Tacitus libro 3. numerat, hoc est, vt ex Caesare intelligitur, regiones quae non modò lingua moribus & institutis, verum etiam iisdem magistratibus utebantur, qualis ipse multis locis Aduorum, Aruernorum, & Rhemorum ciuitates praecipue commemorat.

Reges verò vel Regulos potius Galli eos tum appellabant, qui non ad tempus, vt ciuitatum Magistratus, sed in perpetuum regium imperium quantumuis exiguis finibus obtinebant, quos immutata temporum consuetudo Duces, Comites, Marchiones nominauit.

Erant hi Reges non haereditarij, sed à populo propter iustitiae opinionem eligebantur, neq; habebant infinitum, solutum, & effrenatum imperium, sed certis legibus ita circumscriptum, vt non minus ipsi in populi, quam populus in ipsorum ditioe ac potestate essent, vt ferè illa regna nihil aliud nisi magistratus perpetui viderentur. Nam multos nominat Caesar priuatos, quorum tamen parentes ac maiores Regnum obtinebant. Optimatum ergo & delectorum autoritate, quibus eam potestatem populus permittit tanquam freno coercerentur, quae optima Reipub. forma, teste Platone, Aristotele, Polybio & Cicerone fuit.

Porro Gallia à Romanis in prouincia formam redacta, eodem modo reges ipsorum ex virtute & nobilitate (instar Germanorum teste Tacito) totius populi iudicio ac suffragijs electi & constituti sunt, quorum tres tantum in hodiernum vsq; diem annis ferè 1200. quibus illud regnum durauit, familiae recensentur.

1. Merouingorum, qui orti à Meroueo stirpem ad annos 283. propagarunt.
2. Carolouingiorum, qui orti à Carolo Magno sobolem in annos 337. produxerunt.
3. Capouingiorum, qui ab Hugone Capeto prognati annis ferè 390. regnum obtinent. Nam licet deferendi Regni iudicium arbitriumque penes Ordinum comitia, publicumque totius gentis Concilium semper fuerit, & etiamnum omni iure sit, filijs tamè & ijs, qui ex Regis demortui stirpe essent, propter nobilitatem (more Germanorum) & innatam quodammodo virtutem, praerogatiuam illam ferè reliquerunt, vt eos quasi haereditariè alijs pari virtute praerferrent, ita tamen, vt si Regis defuncti filij annis 24. minores essent, eos

f. iij. creari

DE POLITICO STATV

creari ius non esset, atque adeo alium ætatis legitima creari necesse esset, cuius exemplum extat anno Christi 309. in Clogio Rege. Sed & subinde hoc ipsum Regnum quod Francogallia dicitur, ex quo inter plures Regum demortuorum filios, ex Procerum Regni voluntate & arbitrio diuisum fuisse, plurima extant exempla. Si verò populus filio repudiato alium eligeret (prout sapius id factum est) relinqueretur filio repudiato ad tuendam suam dignitatem res quæ propriæ Regis, & ut luxisperiti loquuntur, ipsius patrimoniales fuerunt, & quas sine publico gentis concilio alienare non poterat. Cætera quæ regni & Reipub. erant, & Reip. dicuntur, ei ad quem Regnum deferebatur, attribuebantur, sicut & ea res quæ Fiscis dicuntur, quæ scilicet ad tuendam dignitatem suam partim ad vsus Reipub. repentinos attributæ sunt, ut erant Ducatus & Comitatus varij, qui etiam in populi comitijs illis assignabantur. Secundò & illud obseruatum semper fuit, ut filij à regni successione remouerentur (non quidem lege Salica, ut quidam malè existimant, nam ea de priuato tantum patrimonio, nec de feudis quidè, sed de allodijs, autore Salagasto vno ex regni proceribus, vnde Salica ab eius nomine dicta est, constituta fuit) & ijs neglectis, fratribus vel patruis, aut etiam extraneis per Proceres regnum semper delatum sit, atq; hæc de regibus primo Reip. capite. Antequam autem reliqua de Regis electione, eiusq; & Reipub. consilio, rationeq; administrationis regni progrediar, operæ precium facturum esse arbitror, si prius membra illa regni, quæ regem constituendi & abdicandi potestatem habere diximus, paucis describero, quò magis dulcis illa harmonia qua regnum hoc à maioribus prudentissimè constitutum est eluceat.

Illud in primis magni est momenti. Regiam potestatem, ac reliquos omnes regni ordines adeo commodis & æquis rationibus inter se deuinctos esse, ac velut coagmentatos, ut vix vllū possit inter ipsos magnum dissidium oriri. Sunt aut ordines in Gallijs tres præcipui, penes quos legitimum gentis concilium, regnumq; adimendi ac constituendi facultas omnibus temporibus fuit, nobilitas scilicet, populus, vulgus. Hi singuli pro sua quisq; conditione suas habent leges ac instituta, quibus vtuntur, & adeo commodè sunt inuicem aggregati, ut agrè facultatem habeant alij alios opprimendi, aut etiam aduersus regem coniurandi. De Ecclesiasticorum ordine, qui quartus censebitur potest, quanquam hodie, cum in tantam excreuerit potentiam, primum oblineat, deinde dicturi sumus.

Nobilitas igitur Gallia, siue equestris ordo maximis fruitur commoditatibus ac priuilegijs, eoque fit ut magno quodam affectu Regem complectantur, & vitam quoque pro ipsius ac patriæ salute profundant. Neque enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipsis esse quocunq; loco, & multa habent vitæ præsidia, sic ut non sit opus illiberalem aut quæstuariam aliquam artem exercere. Hoc enim nostris moribus minime illis conceditur, nisi fortè domi mancant, ac rei familiari studeant. Sed si Regem sectari velint, habent quò se honestè alant. Plurima enim sunt domus & aula Regiæ ministeria, quæ solis nobilibus attribuantur, qui singuli partem aliquam anni in ijs procurandis consumunt, & reliquum tempus vacuum habent ac liberam rebus priuatis atque domesticis administrandis. Hi omnes annum à Rege accipiunt stipendium, & ampliora sperandi magnas habent occasiones. Principes autem viri, ac maioris dignitatis proceres, quoniam, & ipsi Regis beneficentiam experiuntur, ac partem Reip. procurant, nobilibus qui re sunt familiari minus lauta, victum & alia sæpè communicant. Deinde reges perpetuum alunt & amplissimum equitatum, exercendæ & alendæ causâ nobilitatis, ac in tanto equitatus numero plurimæ sunt præfecturæ, quæ in illos distribuuntur, eaque ratio non minus pacis quàm belli tempore durat. Maiores quidem loci nobiles pro sua quisq; conditione ac virtute præficiuntur equitibus, ex reliquis autem alij sunt legati, alij signiferi, alij sagittarij, & qui per ætatem non possunt ferre arma reliquis famulantur, & cum nullū intercedit bellum, licet ipsis manere domi, eiusque stipendij partem non mediocrem parsimonia conseruare. Ad hæc nemo credat quàm multa sint per Galliam præfecturæ, ut sic dicam, vrbana, quæ soli nobilitati committuntur, nam alij prouincijs, alij finibus, alij castellis & arcibus, alij vicis præficiuntur, ut interim nihil dicam de maioribus illis muneribus, quæ principibus tantum tribui solent, cuiusmodi sunt qui ipsorum lingua dicuntur Connestabuli, Marescalli, Ammirallij, & id genus alij, sed & annuam pecuniam, velut honorarium quoddam Reges liberalitate quadam elargiri solent in multos nobiles, qui nulli sunt addicti ministerio. Hi appellantur eorum lingua Pensionarij. Satis igitur ex ijs quæ diximus apparet ordinem equestrum valde honestè & liberaliter in Gallijs haberi, & rectè quidem, nam & patriam ab hostibus defendunt, & natura ferè cæteris antecellunt, & non solum ipsis, verum etiam maiorum ipsorum meritis atq; virtuti illud tribuitur.

Alter ordo suas etiam habet commoditates non exiguas. ad hunc pertinent mercatores, qui eo faciunt maiore quæstum, quod tuto ipsis per Galliam proficisci ac negotiari licet, tum quod nobiles & mercaturam nullam exercent, & splendide fere ac sumptuose vestiuntur. Huic etiam ordini conueniunt ac fere tribuuntur quæsturæ & rationes nummaria, item præturæ, & quicquid ad iurisdictionem pertinet, qua sanè in re plurimum est honoris ac emolumentum. Sunt enim in hoc regno Iuris administræ, Iudices, Aduocati, causarum Procuratores, Scribæ, & id genus alij: multo plures mea quidem sententia, quàm in reliquis omnibus orbis Christiani prouincijs, quòd per oportune illis accidit, qui relicta mercatura his rebus operam nauare volūt. Et adeo quidem est fructuosus hic ordo, ut nobiles etiam inuideant, quanquam certè dignitate atq; splendore reliquis præstant. Et qui sunt alterius ordinis fere student ad hunc peruenire, ut postea dicturi sumus.

In tertio genere est vulgus & promiscua hominum multitudo, qui & agros colunt, & omnis generis artificia tractant. Ut autem hi vel nimia vtantur libertate, vel ad modum sint diuites, vel in armis etiam exercitati, non est consultum. Nam quia conditionem seruitutis oderunt omnes, & natura sua fortunas amplificare student, facile fit vt arma capiant, & potentiores opprimant, quod & in Gallijs & in alijs locis non semel accidisse constat. Ut autem eiusmodi sint ordines, ac veluti gradus in omni Republica necesse est. Quemadmodum in corpore humano videmus infirmiora & ignobiliora membra subministrare dignioribus. Neq; tamen est quod hi suum statum deplorent ac indignè ferant, quoniam & ius ipsis communicatur æqualiter, & quam à maioribus acceperunt, ea vtuntur libertate, & multis etiam Reip. ministerijs adhibentur, & sola virtute & industria & assiduitate possunt ad secundum ordinem emergere, quod secundo non licet, vt

ad

REGNI GALLIAE.

ad primum videlicet euadat, nisi regis beneficio singulari, quod ille solet ijs impartiri, qui aut iam fecerunt, aut pro Repub. vident posse aliquid facere egregiè. Et prudenter quidem istud institutum est, primum ut ordo conseruetur equestris, qui propter belli exercitium fere minuitur, & sumptus vix tolerat. Deinde ut homines tantis excitati præmijs virtute contendant, & ad supremum gradum eluctentur. Hac etiam spe cõfisi qui sunt plebei & infimi ordinis aspirant ad secundum, & cum in eo versati fuerint aliquamdiu, ad primum. Itaque fit ut minus sit inter ipsos inuidiæ ac maleuolentiæ, quando vident meritis ac virtuti patefactam esse viam ad amplissimos honores & propositum esse periculum, si malis rationibus eosdem obtinere studeant. Quod si vel conatus nimium difficilis, vel spes esset nulla ampliora consequendi, tum qui sunt mediocris & infimi gradus, magni præsertim animi, causam reperirent & occasionem excitandi morus, & sui ordinis homines contra potentiores armandi, nunc autem minimè difficilis est ratio, & videmus quàm multi ex humili sapè loco ad summum fastigium euadant. Hanc quoq; rationem diligenter olim seruabât Romani, nam à populari statu gradum faciebant ad ordinem equestrem, & hinc deinde ad Patritiam & Senatoriam dignitatem patebat aditus.

Est præterea ordo Ecclesiasticus nulli non communis, qui modò animum huc adijciat, & pro Gallia con-
suetudine non raro accidit, ut etiam homines plebei virtute ac eruditione præstantes amplissimos in eo genere consequantur honores, Cardinalatum aliquando, vel Pontificatum etiam, quæ sanè res ad virtutem ac literarum studia homines inflammare potest.

Ex iam dictis liquet quàm aptè & venustè inter se cohæreant omnes regni ordines, è quibus si quis aliquid delinquat facilis est medicina, nam si nobiles iniuriam cæteris faciant coercentur ab ijs qui ius reddunt, quorum est tanta authoritas, ut quantumuis magni Principes eorum cogantur parere decretis. Quod si populus etiã atq; vulgus aliquid moliat, ut nonnuquam accidit, non est difficile nobilitati propter potentiam & usum armorum illos ad æquitatem & officium adducere, eoq; fit ut suarum rerum finibus ac veluti cancellis sese contineant omnes, ac pacem alij cum alijs colant, quando neq; causam habent, neq; facultatem etiam aliquid conandi, & periculum in eo summum esse vident. Itaq; Regem tanti beneficij autorem complectuntur & amant omnes, ac cum tempus incidit libentissimè imperata faciunt, & publicis necessitatibus magno studio subueniunt. Quod si priuatim aliqui ab officio discedant, parata sunt remedia, sic ut malum non possit longius progredi. Et hæc quidem de ordinum regni statu satis.

Ex quibus equidem constat quàm concinnè hæc Monarchia iuxta iustitiam distributivam sit temperata, atq; administrata, & Aristocraticè, hoc est optimatum imperio, & Democraticè, hoc est totius populi interuentu, quippe cum ad omnes honores pateat aditus. Quæ quidem est illa Resp. quam tantoperè propter dulcem illam harmoniam, omniumq; Reip. generum temperationem, omnes Philosophi commendarunt, & ubi vetus illa lex aurea locum habet. *Solus populi suprema lex esto.*

Verùm ut redeamus vnde digressi sumus. Ex tribus hisce ordinibus seu statibus regni solet quotannis Calendis Maij publicum ac solenne concilium seu Parlamentum vulgò haberi, atq; adeo quoties maior aliqua res inciderit, cui Rex in aureo tribunali sedens præerat. Et huic primum Principes regniq; Magistratus, tum inferiori loco legati ex singulis ciuitatibus subsidebant, quos vulgò deputatos appellant. Carpentò aut Rex in atrium vehebatur bubus tracto, quos auriga stimulo agebat. Vbi in atrium ac potius in Reip. sacrarium ventum erat, tum Principes regem in aureo solio collocabant, reliquiq; ut iam diximus, suo quisq; loco atq; ordine subsidebant, eoq; demum in statu atq; sacrario Regia Maiestas dicebatur.

Autoritas verò huius concilij omni tempore summa fuit, & hæc potissimum in eo agi solebant. Primum de creando vel abdicando rege, tum de pace & bello, de legibus publicis, de summis honoribus, præfecturis & procuratoribus Reip. de assignanda patrimonij parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus constituenda, quam Germanico verbo Abannagium, quasi exclusorium partem appellant. Deniq; de ijs rebus omnibus, quæ vulgus & nunc negotia statuum populari verbo appellat, quoniam de nulla (ut diximus) Reip. parte, nisi in statuum siue ordinum concilio agi ius esset. Item si quis Princeps atq; illustriore loco natus criminis alicuius insimularetur, in iudicium ad illud concilium vocabatur, ibiq; causam dicere cogebatur. Quin etiam si quando rex maiores sumptus facere instituisset, veluti in templis ædificandis, & monasterijs fundandis, Rex ordinum Concilium exquirebat. Postremò ne illud quidem prætermittendū est, tantam huius concilij apud cæteras gentes autoritatem fuisse, ut etiam Principes exteri, si quid controuersiæ haberent, id interdum huius concilij arbitrio ac iudicio permitterent.

Atq; hoc concilium historici alias curiam, ut conuentum, alias Parlamentum, alias Placitum appellare solent, quòd re in multorum consilio quæsitæ & deliberatæ, tãdem inter ipsos placuisset & conuenisset. Vnde & placita Philosophorum apud Ciceronem & alios dicta sunt. Atq; hinc etiã promanasse videtur illud hodiernum in mandatis ac literis Regis: *Quoniam ita placitum est*, quod malè nunc à scribis Gallicis traductū est: *Car tel est nostre plaisir*.

Eligi etiam solebant in eodem hoc ordinum conuentu seu concilio Præfecti Reip. qui Merouingijs temporibus, Maiores domus, hoc est magistri Palatij dicebantur. Horū eadem apud reges potestas fuit, quæ quòdam apud Imperatorem Romanum erat Præfectorum Prætorio, qui etiam Aula Præfecti dicebantur. Quia cum regiam potestatem desidia regum aliquandiu obsedissent, eandem facultatem nacti, eam pro sua vsu parunt, ac occuparunt. Nam cum omnia ferè Reip. munera obirent, & si quod gerendum esset bellum exercitibus præessent, hi domi nudo atq; inani regum nomine contenti propter desidiam in otio vivebant, vnde de eo progressa res est, ut Childerico rege 18. regnum obtinente Pipinus Magister Palatij, qui regis nomine magna diuturnaq; bella gesserat, Saxones deuicerat, suamq; in potestatem redegerat, oblatam regij nominis occupandi facultatem non repudiari, exercitu præsertim eoq; victore & glorioso instructus. Tanta autem præfectorum potentia initium (ut diximus) cœpit tempore Clotharij secundi, circiter annum Christi 588. id est circiter annum 130. post regnum Francogallia constitutum.

Porro hic Pipinus in regnum, deposito Childerico, sublimatus est. De quo vide lector, hæc in appendice Hunibaldi apud Io. Tritemium, præter Marfil. Patauin. de Translatione imperij cap. 6. Eodem anno (inquit

DE POLITICO STATV

Tritemius) Proceres totius regni conuenientes in vnum, super abrogatione regis Childerici inutilis, coeperunt habere concilium, placuit autem in commune omnibus, vt Regem Childericum nullam regnandi vel peritiam, vel potestatem habentem deponerent, & Pipinum penes quem totius Regni summa manebat authoritas, in Regem sublimarent. Sed Pipinus in hanc rem consentire noluit, nisi prius consilium Pontificis Zachariae inquiratur, causas allegans se mouentes.

In magistri huius Palatii locum successisse videntur Comites stabuli, vulgò Connestablij. Comites vulgò dicebantur omnes, qui amplissimos quosque honores in Regia obtinebant, & Rempub. pro parte administrabant. Erat autem Comes stabuli ferè is qui apud Romanos Magister Equitum dicebatur, id est, qui equitatu præerat, cui custodes equorum suberant, qui vulgò Scariæ appellatur. Mareschalcus Germanis vocatur, hodie eandem obtinent dignitatem quam olim Præfecti Prætorio, seu vt diximus Magistri Palatii, & sub eo hodie sunt quatuor Mareschalci, id est magistri equitum, ad quos introducuntur lites rei militaris.

Post hæc erecti sunt tempore Hugonis Capeti (licet non satis inter scriptores de hac origine conueniat) quos Pares Franciæ vocant. Ille enim remoto legitimo hærede cum Regnum occupasset, Proceres aliquot nouo aliquo honore ac beneficio sibi deuinciendos putauit, nam eiusmodi aliquid ab eo factum esse omnes consentiunt.

Horum Parium constituendorum causa duplex fuisse videtur. Primum vt Regni inaugurationi, atque vt tum loquebantur, inuestituræ præessent, hoc est vt Regem Imperij sui insignibus, atque infulis solenniter in Principum atq; optimatum conuentu exornarent. Deinde vt si quis è potentium & Principum Franciæ numero fraudis capitalis reus fieret, iudicium illud exercerent, nam cum antiquitus iudicia illa in publico gentis Concilio exercerentur, vt dictum est, atque is mos maiorum paulatim Capeuingiorum instituto ad Iuridiciale Parlamentum traduci coepisset, neque Principes Regni facillè illi Parlamento suas fortunas committendas putarent, Regibus illis ad suas rationes commodissimum fore visum est, præter illius Parlamenti curiam suam hunc Parium consensum instituere, quæ Parium Curia vocitata est, quorum tamen ordo ac numerus aliquandiu varius fuit, neq; enim duodecim viri semper fuerunt, vt nonnulli existimant, sed interdum plures, interdum pauciores erant, prout Regi, à quo in summi honoris ac beneficii loco Magistratus ille deferebatur, commodum videbatur, idq; varijs exemplis probari posset, sicut & Parium dignitas sæpè varijs Principibus attributa est, & ad illorum iudicia nonnulli insuper alij & Franciæ Proceribus, & Satrapis, Episcopis, adhiberi soliti sunt. Postremò in illorum numero etiam Reges ac Principes exteri fuerunt.

Porrò etsi hac Parium institutione, & quod Hugo ille Capetus ad conciliandos sibi retinendosque (vt diximus) Procerum animos, dignitates quæ temporariæ erant, puta Regni Ducatus, & Comitatus, perpetuas fecit, haud parum publici (de quo diximus) concilij auctoritatem, licet cum eiusdem Concilij consensu, astutè imminuerit, cetera tamen cuncta adhuc ab eodem pro more pendebant Concilio, adeò vt etiam Budeus, & Carolus Molineus tradant rei nummaria ius, hoc est potestatis nummorum vel augendæ, vel minuendæ semper penes populum Francorum fuisse. Memorabile est illud bellum quod propter publicum bonum Proceres Regni assiduis plebis querimonijs & expostulationibus incitati aduersus Ludouicum vndecimum Regem decreuerant. Quin nec illud omittendum, sub eodem Ludouico Concilium publicum apud Turones ad Calend. Aprilis anno 1467. coactum fuisse, in quo placuit vt certi probatiq; viri, 36. scilicet Curatores Reipub. ex singulis ordinibus deligerentur, qui Rempub. constituerent & iuri ac iustitiæ provide rent, duodeni scilicet ex clero (qui vnum ordinem iam obtinebant), totidem ex Equitibus, & totidem Iuris ac iustitiæ periti ex populo, fidemque Rex Regali dicto promissoq; dedit ratum se habiturum quicquid illi 36. viri constituerent.

Atq; hæc quidem in genere ad Capeuingiorum vsq; tempora totius Reip. gubernandæ, Regniue administrandi ratio fuit. Eaq; recensimus officiariorum regni munera, quibus qui præ sunt vel funguntur propriè Regni seu Coronæ administratores, Officiales, vel sapientes dicuntur, quales sunt cum primis illi quos publicum Concilium constituere diximus. Item Pares Franciæ, deinde Connestablij, Ammiralij, Cancellarius, Questor generalis Franciæ, &c. Alij etiam omni tempore fuerunt consiliarij ac officarij Regij, qui priuata ipsorum negotia curabant, Regiq; famulabantur (aut ministrabant) quales sunt Camerarij & alij ministri & officiales aulæ Regiæ.

Præter hæc publica munera instituta sunt successu temporis alia atq; alia Parlamenta iuridica, qua in re sciendum ad hæc ferè Capeuingiorum tempora, & simplicem facilemq; ius reddedi rationem, rarasq; omninò lites fuisse, quod vel hinc licet cognoscere, quod Rex Ludouicus cognomento Diues, qui regnavit circiter annum 1230. (vt ex Ionuillio, qui eius vitam descripsit, constat) ipse vel controuersias disceptabat, vel disceptandi negotium nonnullis è suo comitatu mandabat. Quod idem de Carolo Magno proditum est, qui vel dum calciaretur, vel amiceretur, lites dirimebat. Huius lex talis in Capitulari extat. *Hoc nisi nostri notum faciant Comitibus & populo. quod nos in omni septimana vnum diem ad causas audiendas sedere volumus.* Crescente deinde prauitate temporis, litium multitudine, primum Basilica magnifica Regis Ludouici Huttini, vel vt alij volunt Philippi Pulchri Imperio circiter annum 1292. ædificata est. Tum ex mediocri iudicum numero tres decuriæ factæ Magnæ Camera, Inquisitionum, & postulatorum. Sed anno 1522. Rex Franciscus quartam deinde Cameram 20. nouis consiliarijs adiecit. Rursus idem Rex anno 1543. alios 20. creauit. Sed hic iudicum conuentus non fuit perpetuus & perennis vt hodie, sed indiētius, nec nisi certo Principis mandato exercere solitus. Ad diē idem D. Martini, id est 2. Idus Nouemb. à Rege dictum proponebatur, quo Parlamentum inchoandi Iudicibus à Rege autoritas datur.

Verum paulatim in tantum huius confessus, seu Parlamenti autoritas excreuit, vt nulla Regia lex, nulla cōstitutio rata esset, nisi cuius illi consiliarij autores comprobatoresq; fuissent. Deinde vt nullus tota Gallia magistratus, non modò vrbanus, verum & militaris esset, quem non ab illo confessu inaugurari, & apud eundem

dem

dem in leges iurare oporteret, tum vt ab eorū iudicijs appellandi ius non esset, sed vt eorum decreta rata & fixa essent, postremò quicquid potestatis, imperij, auctoritatis, penes publicum Concilium & Statuum Parliamentum (cuius scilicet & nomen & auctoritatem obtinet) fuisse diximus, id totum in Senatum illū translatum fuerit.

At hodie quando solus Rex pro suo iudicio cum Secreto ac Priuato suo consilio quiduis decernit, prorsus in ordinarium iuridicum consilium conuersum est, non amplius circa Remp. Regniq; negotia occupatur, fixamq; suam sedem Parisijs habet.

Quod quidem latissimè patet, & amplissimam præ cæteris ordinarijs curijs seu Parliamentis (quæ septem omninò per Galliam nunc sunt) iurisdictionem habet. Cognoscunt autem singula de causis & criminalibus omnibus, & quod à singulis definitum fuerit ei standum est. Illud Parisiense præ cæteris habet, quod in id aliquādo ipsi reges venire olim solent, quoties aliquid magni decernere vellent, quod vel bellum vel pacem concerneret. Hodie adhuc pactiones Regum, & quicquid omninò ad Regni constitutionem pertinet in eo recitatur, & scriptis publicis, quorum ipsi custodiam habent, inferatur.

Sic quæ ab omni antiquitate & primordio Regni Francogallia ad publicos ordinum conuentus referebantur, & post ijs abolitis ad Senatum seu Parliamentum Parisiense, ea hodie ad solum Regem, & quos ille in consilium adhibere vult, translata sunt. Verum vt pergamus vterius:

Est aliud in hoc Regno constitutum Consilium quod Magnum vocatur, quod ex veris Principibus ac præcipuis aulæ & Regni consistit, quod tempore Caroli septimi & octauo, non nisi circa negotia Status Regni, ac ipsius Reip. incolumitatem occupari solebat, sed & hoc ipsum adeo multitudine causarū ac litium successu temporis obrutum fuit, vt Carolus VIII. Ordinarium ex eo consilium, 17. consiliariorum fecerit. Quos deinde Ludouicus duodecimus ad viginti adauxit, addita Cancellario Consilij Præsede, adeo vt sub Francisco & ipsa Cancellarij dignitas in præsidatum erecta fuerit, atq; deinceps solum vacarent cognitioni causarum extraordinariorum à priuato consilio ijs commissarum & fere ordinariè appellationibus Præfæcti hospitalis, vt vocant.

Præter ordinaria iam dicta septem iuridica Parlamenta, vt familiari vtamur vocabulo, & Magnum consilium, habet Rex priuatim adhuc Consilium, quod perpetuum & ordinarium est, Regemq; fere comitatur, & circa negotia Regni præcipuè occupari solet, quanquam & id hodie in Ordinarium quasi Consiliū conuersum sit, quando scilicet causis ciuicatum & Parliamentorum ferè vacat, & plerumq; etiam aliorum priuatorum non ita magni momenti causis, adeo vt hi viri spectabiles & illustres alijs occupati negotiorū publicorum & Statum Regni concernentium, cognitionem & curam propemodum omnem amiserint, totaq; Regni administratio & cura Regis arbitrio & paucorum decretorum electorum iudicio commissa esse hodie videatur, quod *Secretum Consilium* nuncupatur, in quo cunctæ fiunt deliberationes summam rerum concernentes, & super quibus deliberatum à Priuato & Finantiarum consilio fuit, si eiusmodi modò negotia fuerint, quæ Regis peculiarem cognitionē requirant. In hoc cuncta beneficia, literæ, & mandata Regia signantur, aliorum Principum, Legatorum, Præfulum, & Capitaneorum literæ referantur, eorumque responsa concipiuntur, & Secretarijs Statuum committuntur.

Est ergo & aliud Consilium quod vulgò Finantiarum vocant, quod vniuersi Regij ac Regni thesauri curam agit, cui adiuncti quoq; sunt Intendentes, vt vocant, Secretarij Finantiarum, item Quæstores ærarij.

IN VSVM TABVLARVM ADMONITIO.



QVVM ad cœlestem rationem vniuersam geographiam reducere fuerit institutū, vt iusta locorum symmetria, qualis in spherica terræ figurā existit, etiam in plano quàm proximè seruetur, debita graduum longitudinis ad meridiani siue latitudinis gradus proportio constituenda fuit. Cum ergo paucos latitudinis gradus contineret proposita tabula, ad medium fere parallelum tabulæ eam proportionem redegi, sic vt quæ illius paralleli ratio est ad meridianum, ea etiam esset graduum longitudinis in eodem parallelo ad gradus meridiani siue latitudinis proportio. Actum meridiani omnes inter se paralleli existunt. Cum verò plures erant latitudinis gradus, quia multa ibi in summo imoq; parallelis fit proportionis ad meridianum differentia, ne nimium a vero recederet, locorum symmetria, duos delegi parallelos æqualiter fere à medio & extremis distantes, ad quorum rationes, meridianos graduum longitudinis designatores constitui, qui tum non paralleli fiunt, sed pro sumptorum parallelorum inter se distantiâ maiore vel minore, plus minusve ad se mutuo & ad medium tabulæ meridianum inclinantur. Quo autem modo ea meridianorū designatio sit inuenienda, in geographico Ptolemei opere ostendi.

Gradus porrò latitudinis ac longitudinis in lateribus tabularum designatos inuenies, & quidem pro maxima parte latitudinis in vtroq; tabulæ latere, longitudinis verò in summo atq; imo, quando videlicet vsita to geographis more septentrionem in superiore parte collocare licet. Quod si regio describenda magis inter meridiem & Boream extendatur, quàm inter Orientem & Occidentem, tum fere Occidentem sursum locauimus. Vtut fiat, Orientale Occidentaleq; latus semper tibi latitudinis, reliqua duo longitudinis gradus representabūt. Suntq; singuli gradus in 60. partes, quas minuta vocant diuisi, aliquādo in singula, cum magnitudo id patitur, aliàs in bina, quina, aut etiam dena.

Hoc fundamento posito optimas quasq; descriptiones in delineandis regionibus sequutus sum, qua in re non parum subsidij mihi attulit insignis Chorometer & solertissimus Regis Hispan. Geographus Christianus Sgrothenius, qui multas regiones perlustrauit, & præ cæteris amplius exactiusq; descripsit. Tum eiusdem quoq; Maiestatis Geographus diligentissimus Abrahamus Ortelius, ipse candor & humanitas, qui

DE POLITICO STATV

quid vsquam tabularum nactus fuit, mihi communicauit liberaliter, tametsi in eodem mecum esset instituto. Qui præterea aliquid attulerunt auxiliij, eos suis locis cõmemorabo, quo iustum sui beneficij encomium apud studiosos consequantur, nec ego ingratus reperiar. Omnia autem quæ ab alijs oblata simulque quæ ipse conquirere potui diligentissimè inter se contuli, quo quàm fieri posset emendatissimas descriptiones exhiberem. Vnum tamen interim, quod maximè in votis erat mihi defuit, nimirum Principatum, & nobilium locorum exactior enumeratio ac designatio, quæ in æditis tabulis quàm maximè desiderantur. Proinde huic defectui nostro veniam dabis lector, & ad celebrandum nobilitatis ordinem politicum suppetias ferre dignaberis, loca huiusmodi situmq; ac nomina, qualitatemque eorum indicando, tuo id nomini deus erit.

Orbiculi exigui locorum quorumlibet verum situm indicant, atq; hinc eorum distantia sumenda est. Caterùm his subinde signa adhærent quibus internoscantur loca. Simples pagi solis orbiculis, vbi ornatui locus deest contenti sunt, castra quoties nota occurrunt extante vnco notamus hoc modo σ , cœnobicia cruce sic, δ oppida turres vt minimum duas habent, pagi nobiles vnã. Hæc obseruauimus quatenus nobis fuerunt nota. Facilia porrò factu signa ad has distinctiones sumpsimus, quo quilibet omnia faciliè suppleret queat.

Si quis lōgitudinem ac latitudinem loci alicuius explorare velit, vbi meridiani paralleli sunt id efficiet distantiam eius à latere tabulæ circino sumendo, circinumq; sic expansum ad aliud latus applicando. Si distantiam ab Orientali latere sumpsiisti, circinus ex eodem latere in Septentrionali latere gradum & minutum longitudinis ostendet. Sin à Boreo latere distantiam habes, ex eodem in Orientali latere latitudinem designabit. Cum verò meridiani non fuerint paralleli eodem quidem modo loci latitudo reperietur, at in vniuersalibus tabulis vbi paralleli sunt circulares, distātia loci à proximo parallelo sumpta idem in latere Orientali ostendet. Longitudo autem quærenda erit filo aut regula loco superimposita versaq;, donec in Boreo australiq; latere idem vtrinq; eiusdem gradus minutum designetur, quodcunq; tum illud erit, loci assumpti longitudo existet.

Miliaria in diuersis regionibus multum subinde differunt, si ergo lubeat ea ad inuicem comparare, eadem circino ad gradus meridiani refer, & quot in vno gradu comprehendantur reuoluto circino explora, videbis quot vnus, quot item alterius regionis miliaria gradum vnum emeriantur. Sic Germanica cõmunia miliaria (quæ 15 sunt in vno gradu) quadrupla inuenies Italicis cõmunibus, & subdupla ferè quibusdam Sueuicis ac VVestfalicis.

Nonnunquam occurreret simplex linea orbulo annexa, sic ρ δ σ , ea nomen ad locum pertinens indicat, ideò addita, ne in locorum pressura, quod cuique nomen debeatur ambiguum fiat.

INDEX TABVLARVM GALLIÆ.

- | | |
|-------------------------------------|-------------------------|
| a. Gallia vniuersalis. | o. Zurichgovv. |
| b. Britannia & Normandia. | p. VVissispurgergovv. |
| c. Aquitania. | q. Argavv. |
| d. Francia, Picardia & Campania. | r. Belgij vniuersalis. |
| e. Bouloigne. | f. Flandria. |
| f. Aniou. | t. Brabantia. |
| g. Berry. | v. Hollandia. |
| h. Poictou. | x. Zelandia. |
| i. Lotharingæ pars septentrionalis. | y. Geldria. |
| k. Lotharingæ pars meridionalis. | z. Artesia. |
| l. Burgundia Ducatus. | &. Hannonia & Namurcum. |
| m. Burgundia Comitatus. | &. Lutzenburg & Tricr. |
| n. Heluctiæ tabula generalis. | |

*Nihil in hoc opere Geographico, quod pias aures offendere queat inueni.
Quocirca, vt in lucem prodeat, consulo.*

*Quod attestor ego Iacobus Coemans ab Horst, Sacra Theologia doctor, ac
Ecclesia cathedralis S. Bauonis Gandauens. Scholasticus.*

r-
n
a
s
o
r-
as
c-
r.
a-
ia
o-
p-
er
i-
u-
m
in
re
in
ci
a-
a,
r-
m
i-




GALLIAE UNIVERSALIS TABULA.



GALLIAM pro maxima parte duo potentissimi Reges obtinuerunt, Belgium inferius Hispaniarum Rex, cuius Principatus secundo loco explicabo: at Galliae Regnum, quod maiorem Galliae partem comprehendit, Francorum Regi, cuius Metropolis Lutetia Parisiorum est, par et. Huius regni in sua membra & officia diuisio primaria haec est. Nomina vulgaria ponam.

Orleans.	Burgundia cui cliente- lares sunt Comitatus	Neuers. Charrollous, sed de hoc vide in tab. Ducatus Burgund.	France. Dampmartin. Beaumont. Champagne. Vermandois.
Narbona.	Britannia cui fide praestant Comites	Pontieure. Portboix. Maine.	Mesly. Chartres. Montfort. Melun. Perche. Eureux. Estampes. Dunois. Tholouse.
	Aniou cui fidem debet Comites	Vendosme. Beaufort. Laval.	
	Berry cui fidem praestat Comes	Sancerre.	
		Alencon. Mortaigne. Arcourt. Eureux. Malle.	Artesia & Flandria olim sub Corona Francie erant, nunc ad Regis Hispan. ditiones pertinent.
Regno & Corona Francoru, 18. subsunt Ducatus cum illoru clericis Comitatib. 35. tanquam perpetuum patrimonium & hereditas.	Normannia cui hi subsunt Comitatus	Tenquarville. Longueuille. Chaumont. Montpensier. Dauphin. Auvergne. Vie. Eu.	Dux Burgundiae. Dux Normanniae. Dux Guisnne, sive Aquitaniae. Comes Flandriae. Comes Campaniae. Comes Tholose.
	Auernia cui homagium, siue fide debet Comites	Clermont. Vaudemont. Pithon. Rhodes. Armignac. Marobe. Perdrac. Angoulesme. Perigort. Ventadour. Benon. Lymoges.	Saecularis Comes Tholose. Dux & Archiepiscopus Remensis. Dux & Episcopus Laon. Dux & Episcopus Langres. Com. & Episcopus Noion. Com. & Episcopus Beauuois. Com. & Episcopus Chalons.
